

cit post ejusdem uxoris adulterium effici irregularem, quamvis ignorans adulterium uxoris cognoverit illam. Hoc corollarium apertissime deducitur ex illa prima conclusione, si ostenderimus, illum qui sciens uxoris adulterium, illam cognoscit, & sibi reconciliat, esse irregularem. Hoc autem apertissime probatur per cap. Si cuius, & cap. Si laici, 34. dist. Quo dato, evidenter ex prima conclusione colligitur hoc nostrum secundum corollarium: quia si sciens uxoris adulterium incidit in irregularitatem, quando uxori carnaliter miscetur: ergo etiam incidet in irregularitatem, quando id fecerit ignorans adulterium uxoris. Et hanc sententiam docet Petrus de Palude in quarto sententiarum, distinctione vigesima septima, questione quarta, articulo secundo. Et post istum eandem tuetur Abbas in capitulo secundo de bigamis, & in cap. Si vir, de adulteris. Huic tamen sententiae obviare videtur quod in illo capitulo, Si cuius, proxime citato, dicitur requiri, ut uxoris adulterium sit evidenter probatum. Sed hoc nihil nos movet, neque nostrae sententiae contradicit, quia haec facti evidentia ad hoc solum dicitur requiri, ut si ipse tentaret sacros ordines recipere, iuste possit ab illorum susceptione repelli; non autem ad hoc, ut ipse sit irregularis. Quia etiam si ipse sacros ordines non petat, erit nihilominus irregularis: & ad hoc non opus est, ut adulterium uxoris sit evidenter probatum, ut textus ille dicit. Deinde, possibile est, ut uxoris adulterium sit aliis evidens, & ipse maritus ignoret, quo rerum eventu constat verum esse quod in nostro dicitur corollario, etiam evidenti adulterii, quae in illo capitulo exigi mandatur, adfit. Quia simul cum illa potest stare ignorantia mariti, quae nullatenus excusabit illum ab huiusmodi irregularitate, quae provenit ex bigamia. Propter haec & alia similia, quae frequenter accidere possunt, dicit Petrus de Palude loco proxime citato, multos esse bigamos, qui suam bigamiam ignorant.

Tertio ex eadem prima principali conclusione infero, filium illum, quem mulier nupta concepit ex presbytero, esse indignum sacerdotio, quamvis ipse ignoret se esse filium presbyteri, & putet esse filium mariti matris suae. Hoc corollarium tam manifeste colligitur ex illa prima conclusione, ut non sit opus alia deductione, nisi solum ut consideretur, hanc poenam non esse filii presbyterorum a iure inflictam propter aliquod priorum illorum peccatum, sed propter hoc solum quod sunt presbyterorum filii, quod illis non potest ad culpam imputari, cum ipsi non potuerint illud vitare. Ab hac igitur poena, quae non infligitur propter aliquod peccatum, nulla ignorantia (ut prima docet conclusio) poterit aliquem excusare. De hoc tamen admonere oportet lectorem, ut non putet aliquem istorum, qui ignorantes incidunt in irregularitatem, peccare mortaliter, si tali ignorantia existente, promoveantur ad ordines sacros, & promoti ministraverint in illis. Quia illorum ignorantia invincibilis, quamvis non possit excusare ab irregularitate, potest tamen (ut in sequenti conclusione declarabimus) excusare a culpa. Aliud enim est irregularem esse, & aliud est in irregularitate constitutum promoveri ad sacros ordines, aut promotum ministrare. Primum est sine culpa, & ideo ab illo non excusat ignorantia. Secundum non fit sine culpa, quum scientia adest, & ideo ignorantia, quae scientiam excludit, poterit ab huiusmodi culpa excusare.

Secunda principalis conclusio. Omnis ignorantia quae excusat aliquem a peccato, excusat etiam illum a poena, quae est a iure statuta propter illud peccatum, si illa sit ipso iure inflicta, si per Iudicem inferenda: ignorantia

autem, quae non excusat a peccato, nec etiam excusat a poena, quae est propter illud peccatum a iure statuta. Haec conclusio duas habet partes, quarum prima evidenter probatur per illam communem, & fere omnibus notam philosophiae regulam, quae ait: Deficiente causa, deficit effectus, qui necessario pendet ex illa. At omnes irregularitates, de quibus haec nostra conclusio loquitur, procedunt necessario ab aliquo peccato, tamquam ab illarum causa necessaria: ergo ubi non praefuit peccatum, necessarium est non esse irregularitatem, quae ab illo & non ab alio causari poterat. Multa autem sunt opera, in quibus illorum auctores per solam ignorantiam excusantur a peccato: ergo in omnibus illis iidem auctores excusantur a poenis, quae sunt a iure propter illud peccatum, & in poenam illius statuta. Alioqui fieret necessarium, ut quis iure sine peccato pateretur poenas illas, quas nunquam lex aut Iudex alicui sine proprio peccato infligit. Et confirmatur haec sententia per id quod dicitur cap. 2. de constitutionibus. Res quae culpa caret, in damnum vocari non convenit. Eodem argumento a contrario inducto probatur secunda pars praedictae conclusionis. Si causa aliqua naturaliter & necessario producat aliquem effectum, nullum agens creatum poterit impedire, ne stante illa causa, oriatur effectus. Sunt aliqua peccata, ex quibus stante lege, naturaliter & necessario oritur irregularitas, ergo nulla ignorantia poterit efficere, ut stante aliquo illorum peccatorum in homine simul cum lege, non oriatur illa irregularitas, quam lex statuit post peccatum commissum ipso iure infligi. Sed quia dixi peccatum esse necessarium causam irregularitatis, admoneo lectorem, ut intelligat illud dici & esse causam irregularitatis in ordine ad productionem, non autem in ordine ad conservationem. Quoniam etsi irregularitas illa non possit sine peccato produci, potest tamen sine peccato conservari, ut constat in homicida, aut in celebrante in loco interdicto, aut in eo qui ex industria iteravit sacrum baptismi, qui post aliquod istorum crimen commissum plene dolet propter illud, & nolle se commisisse. In hoc enim etsi desit jam peccatum, non tamen desit irregularitas, quae ab illo traxit originem. Posset etiam a contrario tolli irregularitas, quamvis non tollatur peccatum, a quo illa processit, prout contingere potest, si Papa dispensaret in irregularitate cum illo homicida, quem nullo modo vere poenitet homicidii perpetrati. Peccata itaque sunt necessariae causae huiusmodi irregularitatum respectu productionis illarum, & non respectu conservationis. Et inde sequitur, ut ignorantia, quae profus tollit ab opere aliquo peccatum, etiam tollat poenam, quae iure ab illo opere processisset, si illud fuisset ex industria factum: & e contrario ignorantia quae non excusat a peccato, non excusat etiam a poena. Hic tamen admonere lectorem, ut intelligat me hoc loco non disserere de excusatione a poena in ordine ad forum contentiosam, sed solum de excusatione in foro conscientiae, cuius Iudex est solus Deus, quia ille solus est, qui potest corpus & animam mittere in gehennam. Multi excusantur apud Deum a poena iuris propter peccatum imposita, qui tamen apud humanos Iudices non excusantur, prout contingit quando aliquis per falsos testes convincitur de crimine, quod non commisit, aut quando jus ex sola praesumptione aliquem damnat. Multi etiam e contrario excusantur apud homines, qui tamen apud Deum non sunt excusati, ut sunt illi qui commiserunt crimen, quod coram Iudice probari non potest. Ego in praesentiarum velut Theologus de illa sola excusatione a poena, quae fit apud Deum, dissero: quoniam aliam, quae respicit forum con-

tentiosum, si misperitis disputandum relinquo. Haec nostra secunda principalis conclusio, prout a nobis declarata est, non indiget ulteriori probatione, ad manifestiorem tamen illius intelligentiam hoc solum superesse video, ut ostendam quae & qualis sit ignorantia, quae excusare possit a peccato. Nam si hoc ignoretur, necessarium erit ignorare, quomodo per ignorantiam possit quis excusari a poena. De hac tamen re, quia non potest aliquid certum universaliter definiri propter multas & varias ignorantiae species, quas supra jam enumeravimus: ideo necessarium esse consui per aliquot propositiones huic quaestioni respondere, id tamen breviter faciam; propterea quod haec quaestio non est primum & potissimum huius disputationis caput, sed oblati occasio nos de illa aliquid obiter dicere coegit.

Prima propositio: Invincibilis ignorantia iuris excusat a peccato. Haec propositio probatur per hoc quod opus ex tali ignorantia factum non est voluntarium in se, neque in sua causa. Nihil autem potest dici peccatum, nisi sit voluntarium, dicente Augustino: Peccatum adeo est voluntarium, quod si non esset voluntarium, non esset peccatum. Quod non sit voluntarium in se, aperte probatur ex eisdem Augustini sententia, dicens: Nihil volitum, nisi praecognitum. Quod non sit voluntarium in sua causa, quae est ignorantia, aperte convincitur ex definitione ignorantiae invincibilis, quam supra dedimus. Nam si illum vincere non potuit, faciendo quidquid facere tenebatur ad vincendum illam, evidenter convincitur talem ignorantiam non esse ullo modo volitam. Sicut haec ignorantia excusat a peccato, ita etiam excusat a poena iuris, quae propter peccatum infligitur. De hac ignorantia intelligitur cap. Ut animarum, de constitutionibus lib. 6. ubi Papa decrevit, ut ignorantis statuta ordinariorum, non ligentur sententis per statuta illa prolatis. Nam post haec verba statim addit Papa, declarans qualem oportet esse illam ignorantiam, sic dicens: Dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. Ex quibus verbis constat, oportere ignorantiam esse invincibilem, quae debet excusare ab excommunicatione. Neque hoc est particulare in statutis Episcoporum, sed etiam in omni particulari statuto cuiuscumque superioris, prout illic annotavit glossa, & probatur aperte per legem finalem, si. de decretis ab ordine faciendis. Si tamen statuta essent generalia canonum aut legum, dicit glossa in illo capitulo, ignorantiam non excusare. Sed glossa illa mihi non placet, sicut nec multis aliis, quia si modo Papa aut Imperator generale faceret statutum, & aliquis faciendo id quod facere tenetur, ut discat, adhuc ignoraret illud, nulla ratio permittit, ut ille sic ignorans incidat in poenam statuti. Nam cum talis ignorantia sit sine culpa, non est iustum, ut in damnum vocetur: quia esset contra id quod dicitur in capitulo secundo de constitutionibus. Rem quae culpa caret, in damnum vocari non convenit. Si quis plebeus homo semper accedens ad audiendum sermonem illis diebus, quibus in Ecclesia praedicari solet, & omnem diligentiam debitam adhibens, ut dicat quod ad suae animae salutem est necessarium, ignoraverit quantum consanguinitatis gradum esse lege prohibendum ad matrimonium contrahendum, & sic ignorans, publice & in facie Ecclesiae, bannis legitimis praemis, contraxerit cum ea, quam scit esse in quarto consanguinitatis gradu sibi conjunctam, ita tamen ut si sciret hoc esse lege prohibendum, non faceret, nullas sane mentis acculebat illum de peccato, nec damnabit illum ad poenam positam in Clementina unica de consanguinitate & affinitate. Quia fecit quidquid facere tenebatur, ut disce-

ret: & inde necessario sequitur, ut ignorando non peccet, quia alias obligaretur ad impossibile. Si ignorantia non est peccatum: ergo opus quod ab illa tamquam a causa fuit ortum, non erit peccatum, & per consequens erit excusatum a poena quae peccato debetur. Necessarium est ergo, ut Clementinam illam de consanguinitate & affinitate, quae excommunicationis poena punit eos, qui in gradibus prohibitis scienter contrahunt, interpretemur non solum de scientia facti, sed etiam de scientia iuris, ita ut qui invincibiliter & iuste jus illud ignorat, etiam sit liber ab illa excommunicatione, sicut excusaretur, si sciens jus invincibiliter ignoraret factum. Nam excommunicatio non potest fieri nisi pro peccato mortali, quod constat non esse in eo, qui invincibiliter ignorat. Et hoc non solum est verum de ignorantia iuris humani, sed etiam de ignorantia iuris divini, praesertim quando illud non est de apertis & manifestis iuris divini, sed de aliis obscuris, quae non nisi a doctis, & per subtilem discussionem intelliguntur, prout sunt aliqua quae ad contractus pertinent, in quibus est aliqua latens usura, quam non nisi doctus vir agnoscere potest. Si rusticus aliquis in parvo rure habitans, & volens talem contractum facere, interrogaverit sui loci presbyterum, an contractus ille sit bonus, & audiens ab illo nihil mali esse in tali contractu, faciat illum tali animo, quod si sciret esse peccatum non faceret, non puto rusticum illum peccasse in contractu illo. Quia Deus non damnat facientem id quod in se est. Fecit autem homo ille quod debuit, ut sciret: qui non tenetur pro quolibet contractu faciendo querere viros doctissimos, quos pro re illa consulat, praesertim quam putat esse facilem; & quae merito a sui loci parrocho sciri deberet. Iste sicut excusatur apud Deum a culpa, ita apud homines excusari debet a poena, quam lex contra usuram peccatum statuit. Et si postea consultis doctis Theologis, Iudex cognosceret talem contractum esse usurarium, male ageret condemnando rusticum illum ad usurarii poenam. Quia hoc faciendo, praeter id quod damnaret illum sine culpa, videretur exigere a rustico, ut majorem ille agendorum scientiam haberet, quam ipsentem Iudex. Nam possibile est, ut Iudex ipse etiam in iure civili sit doctissimus, ignoret contractum illum esse usurarium.

Sicut dictum est in illo citato cap. Ut animarum, ignorantes invincibiliter statuta excusari a sententia excommunicationis, idem dicere oportet de suspensione, aut irregularitate, aut quavis alia poena, quae erat infligenda per peccatum. Nam ab omnibus illis excusatur omnis ille, qui excusatur a peccato propter quod solum erat poena infligenda. Quoniam eadem est omnium istorum ratio, haec videlicet, quod deficiente causa necessaria (ut diximus) oportet ut etiam deficiat effectus. Sed difficultas est non modica de statutis humanis, quae statuant poenam aliquam propter factum lege divina prohibitum, an sciens opus illud lege divina prohibitum, & nesciens statutum humanum, quod imponit poenam, incidat in poenam a iure statutam. De hac re varia est Doctorum sententia. Scotus in 4. sentent. dist. 6. q. 8. dicit illum incidere in poenam iuris, nec excusari per ignorantiam: quia (ut ait) tenetur scire jus divinum. Eandem opinionem tuetur Summa Rosella in titulo de excommunicatione. Contrariam opinionem docent Joannes Andreas, & Dominicus in cap. Ut animarum, de constitutionibus lib. 6. Summa Angelica in titulo, Excommunicatio, 7. casu ultimo, & Summa Sylvestrina, titulo de ignorantia, questione octava. Et istorum opinio multo magis mihi placet, quia aperte probatur

tur per illud cap. Ut animarum, de constitutionibus lib. 6. Quia statutum de quo illud capitulum loquitur, excommunicabat fures, & tamen non excommunicabat ignorantes, quamvis furum esset lege divina prohibitum. Nec valet argumentum Scoti, quia per illud solum probatur, illum non excusari a peccato, quod est contra legem divinam: sed non probat quod non excusetur a pena, quia statutum humanum quod penam imponit, poterat invincibiliter ignorare, quia humanum. Forte contra hanc primam propositionem quis objiciet, id, quod dicitur de regulis juris lib. 6. Ignorantia facti non juris, excusat. Sed regula illa nihil contra mater primae propositionis sententiam asserit, quia de re valde diversa differit. Nam illa regula solum loquitur de excusatione facienda in foro contentioso, in quo saepe secundum solam juris praesumptionem agi solet, unde frequenter evenire solet, ut Judices in sententis ferendis saepe fallantur, quia ex sola juris praesumptione judicant. Mea vero propositio (ut in declaratione secunda principalis conclusionis praemonui) loquitur de excusatione in foro conscientiae, in quo non praesumptiones, sed per plenam veritatis cognitionem rem omnem desinare oportet. Et inde evenit (ut supra dixi) ut aliqui apud Deum sint excusati, qui apud Judices humanos non excusantur. Potest enim contingere, ut quis legem aliquam novam, post elapsos duos menses ab illius proclamatione, & divulgatione, sine culpa sua ignoret; quia licet sit in civitate, est tamen ab hominum tumultu sequestratus, & circa alia multo meliora studia occupatus: & ideo nihil unquam audivit de re illa, quamvis aliquando eos qui per civitatem vagantur, interrogaverit, an aliquid novum contigerit, quod sit contra dignum Jus praesumit hunc scire legem illam novam, propterea quod in eadem civitate in qua ille moratur, fuit publicata, & duo menses post illius publicationem sunt elapsi. Sed re vera ille sine culpa sua ignorat, quia nec affectatam, nec crassam, nec supinam habet ignorantiam, & ideo apud Deum est excusatus. Deinde, si quis contenderit, illam juris regulam esse etiam de excusatione apud Deum, & in foro conscientiae intelligendam, ne pro hac re contendamus, dicam illam non de omni juris ignorantia, sed de sola ignorantia vincibili esse intelligendam, quae nec apud Deum, nec apud homines excusat a peccato, & per consequens nec a pena. Quoniam ignorantia vincibilis (ut superius in principio hujus capitis declaravimus) est illa, quam aliquis vincere potest, faciendo id quod facere debet ad discendum. Ille autem, de quo in casu proximo loquimur sumus, invincibilem legis novae ignorantiam habebat, & ideo sicut apud Deum est excusatus, ita excusabitur apud Judices humanos, si illis suam potuerit ignorantiam persuadere. Nam illa praesumptio qua quilibet praesumitur scire legem post duos menses a publicatione illius (ut dicit Abbas in capitulo secundo de constitutionibus) non est juris & de jure, sed contra illam admittitur probatio. Qualiter autem quis suam possit ignorantiam probare, varia est inter Jurisperitos sententia, de qua re optime differit Abbas in illo capitulo secundo de constitutionibus. Communior Jurisperitorum sententia est (ut mihi videtur) ignorantiam posse probari per juramentum, praesertim quando est aliqua verisimilis conjectura, quae suadet verum esse quod jurat. Nam hanc sententiam docet Petrus Ancharranus in cap. Nulli licere, numero quinto de electione, lib. 6. & citat Archidiaconum eodem loco idem dicentem: & eandem sententiam iterum asserit in cap. Ut circa, numero septimo, eodem titulo & libro. Cardinalis Zabarella in Clementina de consanguinitate

te & affinitate, quaestione 8. hanc etiam sententiam tueretur, & citat Laurentium quemdam idem docentem, & hac ratione motum, quod cum agatur de re secreta, & quae intra ipsum hominem in cordis penetralibus latet, non potest per testes probari, sed per solum juramentum. Joannes de Imola in eadem Clementina hanc sententiam amplectitur eadem ratione motus, quia Laurentius ille: & citat Guillelmum quemdam, & nescio quem Stephanum, eidem sententiae faventes. Abbas in capitulo citato, & si hoc Judicis arbitrio committat, citat tamen Antonium de Butrio, dicentem ignorantiam optime probari juramento, si adit verisimilis conjectura, quae possit utcumque juramentum adjuvare. Glossa in cap. Proposuit, 82. distinctione, eandem sententiam tueretur. Denique glossa in cap. Eos qui, de etate, & qualitate, & ordine praeficiendorum, libro sexto, haec opinioni favet, sed addit quod contra juramentum potest probari scientia per probabiles conjecturas. Sed hoc ultimum hujus glossae dictum non mihi placet, nisi conjecturae essent nimium violentae, & adeo aperte & manifestae, ut rem ipsam quasi indice demonstrare videantur. Nam alias magis existimo credendam esse juramento, quam mediocribus conjecturis, quia non est facile credendum esse aliquem suae salutis tam immensorem, ut pejorare velit. **Secunda propositio.** Invincibilis ignorantia facti excusat a peccato, quod ratione rei ignoratae provenire potest, si illa esset perfecte cognita. Pro clariori intelligentia hujus propositionis oportet revocare ad memoriam id quod supra dixi, multas in eodem facto posse contingere ignorantias. Si id quod ignoratur tale est, ut ab ipso solo pendeat tota malitia operationis, tunc illa ignorantia excusabit operantem a toto peccato. Hoc modo excusatur Patriarcha Jacob a peccato dormiens cum Lia, quia patavir illam esse Rachel, quae sibi fuerat data in uxorem. (Gen. 29.) Si sciens illam non esse Rachel, coivisset Jacob cum Lia, quae erat aliena, peccasset ex hoc solo quod ad alienam accessisset: cum igitur ignoraverit illam esse suam, merito excusatur a toto peccato, quia ab illo solo tota peccati malitia penderet. Si id quod ignoratur, tale est, quod ab illo non tota malitia pendet, sed solum aliqua malitiae circumstantia, quae peccatum augere potest, tunc ignorantia non excusabit a toto peccato, sed solum ab illa gravitate peccati pendente ex circumstantia ignorata. Ut, grana exempli, si quis ex ira occideret Sacerdotem aliquem, ignorans illum esse Sacerdotem, & si sciret, non occidisset, talis ignorantia est invincibilis sit, non excusat a peccato homicidii, quia is qui occidit, vere scivit illum esse hominem: sed excusat a tota facilligii circumstantia, quia ille invincibiliter ignoravit illum esse Sacerdotem. Si quis etiam coiret cum aliqua moniali, nesciens illam esse monialem, quod si sciret, nullatenus illi carnaliter misceretur, talis ignorantia, quamvis sit invincibilis, non excusat a peccato fornicationis: quia ille qui sic cum moniali coivit, bene scivit illam non esse uxorem suam: sed excusatur a tota circumstantia sacrilegii, aut incestus, quia invincibiliter ignoravit esse monialem. Haec propositio probatur eodem argumento, quo primam probavimus. Nihil enim potest esse peccatum, nisi sit voluntarium: id quod procedit ex ignorantia invincibili non est voluntarium: ergo illud non est peccatum. Dicitur autem esse involuntarium id, quod ab ignorantia procedit, non quidem propterea quod illud non sit volitum, quia vere est volitum: Sed dicitur involuntarium, quia est contra volitionem, aut nolitionem, quae haberetur sine tali ignorantia. Ex quo

sequitur illud non esse voluntarium sub illa ratione qua ignoratur. Et inde ulterius sequitur, ut tantum aliqua operatio excusetur a peccato, quantum habet de ignorantia, & per consequens de involuntario. Si id totum, a quo peccati malitia penderet, fuerit invincibiliter ignoratum, tunc (ut dixi) ignorans excusabitur a tota malitia peccati. Si vero id, a quo non tota, sed solum partialis malitia pendet, invincibiliter ignoratur, tunc ignorans excusabitur non a tota peccati malitia, sed ab illa sola quae penderet ex illa circumstantia ignorata. Quia tantum praecise habet de excusatione peccati, quantum habet de invincibili ignorantia, & non amplius nec minus. **Nec refert** quatenus ad hanc rem spectat, an sic ignorans det operam rei licitae, an illicitae: quia si ignorantia est invincibilis (ut optime docet S. Thomas in prima secundae, quaest. 76. art. 3.) semper excusat a toto peccato, quod provenit ab illo, quod ignoratur, si fuisset plene cognitum. Et eodem loco Cajetanus egregie annotavit illam B. Thomae sententiam esse universaliter intelligendam, sive ignorans det operam rei licitae, sive illicitae. Quia cum utrobique (ut ille ait) sit eadem causa, puta ignorantia invincibilis & inculpabilis, oportet ut utrobique sit involuntarium: & inde ulterius necessario sequitur, ut etiam utrobique sit excusatio totius peccati, quod provenit ab illo ignorato, si bene cognoscere poterit. Differentia enim quae in materia de ignorantia poni solet inter illum qui vacat rei licitae, & qui dat operam rei illicitae, solum habet locum, quando uterque illorum habet vincibilem ignorantiam indirecte volitam, prout est ignorantia crassa aut supina. Nam ignorantia directe volita, qualis est ignorantia affectata, eandem habet scientiam conditionem, & idem operatur, quod operaretur scientia, si adesset. Hoc annotat glossa in cap. Eos qui, de etate, & qualitate, & ordine praeficiendorum, lib. 6. Et post glossam idem asserunt Petrus de Ancharrano, & Dominicus in eodem loco. Et de hac ignorantia dicit B. Thomas in quaestione praedicta, art. 4. quod talis ignorantia potius auget peccatum, quam excuset, quia talis ignorantia non diminuit de voluntario, sed auget illud. Nam ex nimia voluntate peccandi oritur quod aliquis velit ignorare, ne per scientiam revocetur a peccato. Sola igitur ignorantia crassa aut supina est, quae non potest ignorantem excusare a peccato. Et in hac facti ignorantia diligenter considerare oportet, an is qui ex tali ignorantia aliquid malum agit, det operam rei licitae, an illicitae: quoniam aliquid inter unum & alterum interest. Nam malum, quod ex ignorantia vincibili, hoc est crassa & supina, fit ab eo qui dat operam rei licitae, non est per se voluntarium, sed tantum per accidens. Quia malum illud non per se & necessario, nec ut in pluribus oritur a bona illa re, cui operam dabit. Malum enim nunquam ex natura sua oritur a bono, sed tantum per accidens. Malum ergo illud est solummodo volitum in ignorantia unde oritur, quae etiam non est directe volita, sed interpretative, quia noliit adhibere diligentiam, quam tenebatur. Et quia magna est illic diminutio voluntarii, ideo oportet, ut magna etiam sit excusatio peccati. Est enim tanta, ut malum illud non permittat manere in eadem specie peccati, in qua fuisset, si ex scientia fieret. Ut, exempli gratia, si Jacob quando dormivit cum Lia, quae non erat sua, ignoraret ex crassa ignorantia illam non esse suam, ut puta quia ancilla aliqua foveri sui admonuerat de illatione futura, & ex negligentia noluit explorare lectum, tunc Jacob dormiens cum Lia, non fuisset omnino excusatus a peccato, quia revera peccasset: sed fuisset excusatus a peccato for-

nicationis, propterea quod dabit operam rei licitae. Non enim diceretur Jacob commisisse fornicationem, quia non fuit ab eo per se volita, nec intenta. Quod ex eo convinci potest, quod si ille scivisset non esse suam, non accessisset ad illam. Et sicut ille excusaretur a peccato fornicationis, aut adulterii, aut incestus, ita excusaretur a pena, quae propter aliquod horum criminum esset a jure imposita. Nam si alicui uxorem habenti modo ex ignorantia crassa contingeret, quod olim ex ignorantia invincibili Jacob, (Genes. 29.) non posset illum uxor a thoro propter adulterium repellere, ut dicitur in cap. In lectum mariti 34. quaestione tertia. Quia etsi peccasset, non tamen peccato adulterii, sed solum peccato negligentiae, quae fuit ab illo interpretative volita. Peccatum autem adulterii erat necessarium, ut uxor juste posset illi debitum negare. Idem profus dicendum erit de illo, qui vacans iustae venationis officii hominem ex ignorantia crassa, putans illum esse feram, quia debiam non adhibuit diligentiam. Ille enim etsi peccasset occidendo, non tamen peccato homicidii, quia ille non intendit occidere hominem, sed praeter intentionem & praeter spem evenit. Quae autem praeter intentionem, & per accidens eveniunt, non eisdem censeri debent nominibus, quibus censentur ac si essent per se volita. Et sicut in istis aut aliis similibus causis ille excusatur ab specie peccati, ita excusatur ab ea juris pena, quae propter talem peccati speciem est a jure decreta. Ex quo sequitur, ut si ille sic occisus esset clericus, is qui illum occidisset, non esset excommunicatus, quia talis excommunicatio non per quolibet peccato, sed pro vera clerici percussione, quae dolum habet, infligitur: ut patet in cap. Si quis suadente 17. q. 4. Non tamen excusaretur ab irregularitate, quia illa (ut supra dixi) non requirit propriam speciem peccati, sed solum homicidii operationem, quae si est a persona privata, ut irregularitatem inducat, semper debet habere aliquam peccati malitiam secum connexam. Nam qui omnino excusatur a peccato, etiam est excusatus in jure a pena irregularitatis ex hujusmodi homicidio provenientis: & qui non omnino excusatur a peccato, etiam non excusatur ab irregularitate. Similis enim casus habetur in cap. Ad audientiam, de homicidio voluntario, ubi is qui praeter intentionem occidit, dans operam rei licitae, non excusatur ab irregularitate, quia eam quam tenebatur, non praestitit diligentiam, ut homicidium vitaret. **Longe aliter sentire oportet de illo, qui dans operam rei illicitae, facit malum ex crassa aut supina ignorantia.** Nam malum quod ille ex tali ignorantia facit, non est ab illo per accidens, sed per se volitum. Quia aperte volebat rem illam illicitam, cui operam dabit: & volens illam, eo ipso censetur velle id, quod per se & necessario sequitur ex illa. Et inde sequitur, ut ignorantia crassa istius non adeo diminuat de malitia operis, ut valeat illud transferre de una specie peccati in aliam, sed permittit illud in propria specie peccati, in qua collocaretur, si esset ex industria factum. Sed licet in eadem specie illud permittat, aliquid tamen diminuit de illa malitia, quam haberet, si ex industria fieret. Ut, gratia exempli, si Petrus accedat ad meretricem, quam ex ignorantia crassa ignorat esse suam consanguineam, peccabit non solum peccato simplicis fornicationis, sed peccato incestus, sicut peccaret, sciens illam esse consanguineam. Sed incestus ille non induit tantam malitiam, quantum induisset, si scivisset consanguinitatem, quae est inter illos. Quia ex hoc quod ille dabit operam rei illicitae, evenit, ut ignorantia illa crassa, licet valeat aliquantum peccati malitiam minuire, non tamen tantum,